Wieczorkowski Stanislai: Quaestio de contractibus iuramento firmatis.

QVÆSTIO
DE
Contractibus iuramento firmatis. Ad c. Quamuis
DE PACTIS IN SEXTO.

Juncta Authent. Sacramenta puberum. C. ſi aduerſus venditionem.

A

M. STANISLAO WIECZORKOWSKI,
Collegâ Minore.

IN

Alma Academia Cracouienſi publicè ad diſputandum in Collegio
DD. IVRISPERITORVM
propoſita.

Anno inſtauratę Salutis 1642.
Menſe Iulio die 1. *Hora* 8.

CRAC. Typis Valeriani Piątkowſki.

IN STEMMA PERANTIQVVM.



Marte togâqué potens olim gens magna Quirini,
Clauem, virtutis gessit vbiqué decus.
Quàm benè conueniunt (liceât mihi vera fateri)
Hęc, Vir magne, Tibi symbola pulchra Domûs.
Marte togaqué vigens, per tot miracula rerum
Munificę pandis munera clara manus.

Illustri et Magnifico Domino,

D. IACOBO MICHAŁOWSKI

à MICHALOW,

Hæredi in Słupia Chlewice, &c.

TRIBVNO LVBLINENSI.

Domino & Fautori vnicè Colendo

M. STANISLAVS WIECZORKOWSKI,

S. & P. F.

INter graues ac varios occupationum Academicarum labores, quos in Statione literaria, cum antè in Collegio Lubransciano, tum in florentissima & celeberrima Vniuersitate Cracouien. priuatim publiceq́; sustineo Illustris & Magnifice Dn̄e, semper nobilissimo Philosophico studio, amænissimam & pernecessariam Iurisprudentiæ doctrinam, Comitem adiungere, pulcherrimum atque vtilissimum, iudicaui. Non quod Philosophiæ (quæ in omnium rerum causis perscrutandis occupatur) ad suam perfectionem maiestatemué aliquid deesse existimarim; Sed vt mutuum Scientiarum nexum, & indissolubile, quod inter ipsas intercedit vinculum, Cominus maiore cum oblectatione & emolumento, possem admirari. Cuius rei, præsentem Quæstionem quam ex Maiorum meorum voluntate publico certamini nunc subijcio, euidens argumentum esse volui. Tibi

verò eam, incredibili Tuo erga literas humaniores amore, & potißimùm erga Iurisprudentiæ studium innata propensione, id exigente ac persuadente, nō alienū à proposito consecrare iudicaui. Præbuit quoq; huic meæ debitæ in Te obseruātiæ declarādæ occasionē cōmodißimā, insitatâ Tua beneuolentia atque eximia humanitas, quam toties mihi & aliis plurimis affatim significare studuisti, cum alias frequenter, tum maximè, quando me minus de Te meritum Domi Tuæ tam pleno beneuolentiæ & hospitalitatis affectu sæpiùs excipiendum esse putasti, vt meritò mirari etiam modò non desinam singularem non minus animi Tui in rebus agendis dexteritatem, quàm facilem Corporis ad bonos mores compositionem, & modestam de Tua illustri & generosa indole æstimationem. Sed naturâ comparatum est Magnifice Domine, vt non degenerent à probis & ingenuis parentibus filij, nec procul à proprio stipite poma cadant. Viget adhuc, perpetuisuè temporibus vigebit recens memoria, quam & quantam sibi, totiq; inclitæ ac peruetustæ familiæ Pater Tuus Illustris, Virtutum & solidæ eruditionis atque prudentiæ Consumatæ splendore, peperit gloriam: qui posteaquam propter legum ac Iustitiæ inuiolatam obseruantiam Vicecapitanei Cracouień. Officio, cum omnium applausu gloriosè functus fuerat, mox Tribunus Lublinensis, totius Nobilitatis suffragijs & sententijs declaratus, non solùm æqualium Ciuium, sed etiam Magnorum & Principum in Republica nostra Virorum, amicitiam, societatem, ac necessitudinem, Virtute sua, & legum propria genuinaq; interpretatione duce & authore sibi tantam conciliauit, vt ab Illustrißimo Olim Ianußio Duce in Ostrog Castellano Cracouiensi, rigido ingeniorum, animorumquè Censore, missis aliis, dignus iudicatus fuerit, cuius fidei, integritati, & regimini, vnici Successoris, vita carißima, fortunæ amplißimæ, atque possessiones latißimæ post mortem ipsius concrederentur. Cui quidem, quia par esse in omnibus, naturæ optimæ, ac ingenij fæcundi ductu feliciter contendis, maximoperè gaudeo: vtque Patriæ prout cœpisti prodesse valeas, eò ardentius opto & cupio, quo Te propensiorem, & ad ardua

quæq; magis incitatum esse animaduerto. Illud vnicum à Te maiorem in modum exorans, vt præsentem hanc animi mei testificationem grato animo suscipias, & Tuum singulare patrocinium Quæstioni in arenam Certaminis prodeunti, impertiri benignè annuas. Viue Vir Illustris, viue Patriæ, Familiæ & mihi quàm diutissime incolumis, Viue & Dei Ter Opt. Max. Tuos felicissimos progressus, & indefessos ad tuendam Reipublicæ Salutem conatus, cum prospera valetudine secundantis, gratiam atque benedictionem perpetuò experire. Dat: Cracouiæ ex Collegio Minori. 26 Iunij. Anno Domini, 1642.

QVÆSTIO

De Contractibus Iuramento firmatis Ad Cap. Quamuis.

De Pactis In Sexto.

Juncta Authent. Sacramenta puberum C. ſi aduerſus Venditionem.

V. Contractus cum defectu ſolemnitatis à iure requiſitæ celebratus, & per errorem, dolum, aut metum extortus, ſi iuramẽto fuerit cõfirmatus, in foro tàm exteriori, quàm interiori ſit validus; adeò vt contrahentes nõ ſolùm promiſsioni ſtare obligẽtur ſed etiam crimine periurij ſi alter altero inuito reſilierit, innodentur nec ne?

CONCLVSIO. I

Contractus sine solemnitate à iure requisita initus, non solùm in foro externo, verùm etiam in foro quod vocatur Conscientiæ, (excepto testamento causa pietatis facto) est inualidus.

COROLLARIA.

1. Quilibet Contractus requirit certam solemnitatem: nec lex potest efficere, vt Contractus sine solemnitatibus celebratus, valeat.

2. Solemnitates ad publicàm vtilitatem sunt introductæ.

3. Ad substantiam Contractus requiritur vt persona sit certa, & res de qua contrahitur.

4. Contractus Pupillorum & Minorum, celebrati sine authoritate Tutorum vel Curatorum de reimmobili, vel magni momenti, ipso iure etiam naturali sunt nulli, nec opus est vt aliter annullentur.

5. Solemnitates iuris possunt remitti de Consensu Partium.

CON-

CONCLVSIO II.

Ad validitatem Contractus siue lucratiui siue onerosi, non sufficit Consensus per errorem extortus.

COROLLARIA.

1. *Quilibet Contractus cum errore circa substãtiam siue antecedente siue comitante initus, est nullus.*

2. *Errantis nullus est consensus.*

3. *Error Communis & titulus putatiuus, operatur validitatem eorum quæ geruntur per inhabilem, quando inhabilitas fuerit de Iure humano: secus si de Iure naturali, vel diuino.*

4. *Contractus lucratiuus, siue onerosus cum errore circa qualitatem celebratus, non irritat Contractum.*

5. *Error in nomine, seu in cognomine non vitiat actum, quando ex aliquibus coniecturis constare potest certitudo personæ.*

CONCLVSIO III.

Omnis Contractus siue lucratiuus, siue

One-

onerosus, per dolum celebratus, iure positiuo in vtroque foro inualidus est, quando dolus dedit causam Contractui.

COROLLARIA.

1. *Fraus vel malitia quà quis falsitatem expreßit vel veritatem suppreßit non præsumitur; sed necessariò probanda est per eum, qui allegat illam interueniße.*

2. *Contrahens qui inuincibiliter deceptus est à tertio vel à seipso, cognito dolo, non tenetur obligationem adimplere, si Contractus nondum est vtrinque, vel altera ex parte adimpletus.*

3. *Licèt Contractus bonæ fidei initus dolo aduersarij sit ipso iure nullus, est tamen in arbitrio eius qui dolum paßus est, approbare Contractum, & cogere aduersarium vt eum obseruet.*

4. *Contrahentibus licèt permißum sit iure Ciuili se inuicem decipere, non tamen id conuenit Viro bono.*

5. *Adhibens dolum vel mendacia in Contractu, obligatur ad restitutionem.*

CONCLVSIO IV.

Contractus ex metu iusto cadente in virum constantem celebrati, etiamsi de iure naturæ validi sint & obligatorij: iure tamen positiuo irritantur.

COROLLARIA.

1. Metus cadens in constantem virum is est, quando aut mors ipsa, aut corporis Cruciatus grauis, aut vniuersorum bonorum, vel maioris partis eorum amißio, vel magni lucri subtractio, interminatur.

2. Et licèt ea quæ fiunt per metum, de iure Ciuili regulariter teneant, ex quo interuenit consensus tametsi coactus, nihilominus veniunt rescindenda per actionem. QVOD METVS CAVSA.

3. Promißio quæcunquè legitima & deliberatè absque dolo & metu facta, quamuis nuda sit, nec vllâ scripturâ, aut testibus probari potest, in foro tamen Conscientiæ seruanda est.

4. Renuncians cum iuramento beneficio per metum, non indiget noua collatione, sed per actionem. QVOD METVS CAVSA, restituendus est

est in pristinum statum, facta absolutione à iuramento.

5. *Solus metus reuerentialis non sufficit ad rescissionem Contractus: Nisi etiam còàctio vel minæ, aut verbera præcedant, aut alius metus grauis illi adiungatur.*

CONCLVSIO V.

Contrahentes post acceptatam & Iuramento confirmatam promissionem, parere obligationi tenentur, aliâs crimen incurrunt periurij.

COROLLARIA.

1. *In Contractibus vltrò citroq; obligatorijs, resultat Correlatio, ita quòd impositum vni, censetur iniunctum & alteri.*

2. *Tàm de Iure Ciuili, quàm Canonico in obligationibus facti, iuramentum simpliciter interpositum, obligat præcisè ad factum.*

3. *Vbi turpitudo versatur ex parte recipientis obligationem, & non ex parte se obligantis, promissio seu pactum non obligat sine Iuramento, sed secus cum Iuramento.*

4. Iu-

4. *Iurans ſcienter illicitum, non indiget abſolutione, ſed tenetur Iuramentum non obſeruare: ſecus ſi Iurauit ignoranter, & aliquo licito modo, eſt obſeruabile.*

5. *Periurus eſt, qui facit contra licitum Iuramentum ſuum non ex neceſſitate, ſed ex voluntate.*



SVB FELICIBVS AVSPICIIS

Admodum Rndi ac Magnifici Domini,

D. IACOBI VSTIENSIS, S. Th. & I. V. Doctoris ac Profeſſ. digniſſimi, Eccl: Colleg: S. FLORIANI Cuſtodis. Almæ Vniuer: Cracouienſis Vigilantiſſimi

RECTORIS.